Bryn Mawr College
Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special Collections, Digitized Books

1861

# De Persarum cantico psychagogico commentatio

August Rossbach

Dissertation
Let us know how access to this document benefits you.

Follow this and additional works at: https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks

Part of the Classical Literature and Philology Commons

Custom Citation
Rossbach, August. *De Persarum Cantico Psychagogico Commentatio.* Vratislaviae, 1861. Print.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/111

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

10

# INDEX LECTIONUM

IN

# UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM A. MDCCCLXI.

A DIE XV. MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

---

PRAEMISSA EST A. ROSSBACHII DE PERSARUM CANTICO PSYCHAGOGICO COMMENTATIO.

---

TYPIS ACADEMICIS.

# RECTOR ET SENATUS

## COMMILITONIBUS HONESTISSIMIS S. P. D.

---

Superiore anno quum per eandem hanc prooemii scribendi opportunitatem de Eumenidum antichoriis ageremus, probabilibus argumentis docuisse nobis videmur, carmina illa non a quindecim choreutis singulatim se excipientibus, sed aut ab hemichoriis aut ab hemichoriorum coryphaeis fuisse cantata, ab hemichoriis ea, quae strophicis vinculis comprehensa tenerentur, ab hemichoriorum coryphaeis, quae essent *ἀπολελυμένα;* omnem autem hanc partitionem non a tragicis poetis inventam, sed ex vetusta popularium commorum consuetudine in tragicam artem traductam liberiusque conformatam. Nunc de carmine aliquo agere constituimus, quod, licet in threnorum, qui vulgo appellantur, numero non sit, tamen et threni est simillimum et ad sepulchrum cantantum, de Persarum cantico quarto, quod a versu 635 exemplaris Hermanniani orditur *ἦ ῥ' ἀΐει μου κτλ.* Id carmen qua ratione compositum sit, nondum videtur a quoquam exploratum. Est autem non modo iucundum et utile eam rem persequi, sed vel maxime etiam necessarium, quum nisi ante cognita compositione nec corrupta emendari nec sententiarum complexio patefieri nec carminis poetica indoles illustrari possint.

Atossa quum nesciat, quorsum in tanta rerum Persicarum clade confugiat, ad divi Darii tumulum libatura chorum hortatur his:

v. 622. *ἀλλ', ὦ φίλοι, χοαῖσι ταῖςδε νερτέρων*
*ὕμνους ἐπευφημεῖτε, τόν τε δαίμονα*
*Δαρεῖον ἀνακαλεῖσθε· γαπότους δ' ἐγὼ*
*τιμὰς προπέμψω τάςδε νερτέροις θεοῖς.*

quibus chorus obtemperans invocat inferos Deos:

*ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί,*
*Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ' ἐνέρων*
*πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὴν ἐς φάος.*

Est igitur carmen quod sequitur e genere eorum, quae ψυχαγωγοὶ cantare solebant, de quibus sic est in Bekkeri anecdotis p. 73, 10 traditum: ψυχαγωγός· οἱ μὲν Ἀλεξανδρεῖς τὸν τῶν παίδων ἀνδραποδιεῖν οὕτω καλοῦσιν, οἱ δὲ ἀρχαῖοι τοὺς τὰς ψυχὰς τῶν τεθνηκότων γοητείαις τισὶν ἄγοντας. Eiusmodi canticum in ea quoque fabula Aeschylea, cui nomen erat ψυχαγωγοῖς, (in qua fabula mortuorum umbrae ab Ulixe ex Orco evocabantur) lectum fuisse, probabiliter colligitur ex iis, quae idem grammaticus deinceps scribit: τῆς αὐτῆς ἐννοίας τοῦ Αἰσχύλου τὸ δρᾶμα ψυχαγωγός. Omninoque id carminum genus naeniis proximum esse, cum grammatici verba docent γοητείαις ψυχὰς ἄγειν, tum ea, quibus Darius e sepulchro evocatus chorum affatur:

v. 687. ὑμεῖς δὲ θρηνεῖτ' ἐγγὺς ἑξῶτες τάφου
καὶ ψυχαγωγοῖς ὀρθιάζοντες γόοις
οἰκτρῶς καλεῖσθέ με·

Ne multa. Ipsum de quo quaerimus canticum, quum et a querelis ordiatur (παναίολ' αἰανῆ δύσθροα βάγματα . . . παντάλαν' ἄχη) et vociferationis lugubris plenum sit et sententiarum vocabulorumque iteratione, qualis in threnis esse solet, conspicuum: satis manifestam prae se fert commatici carminis speciem. Nec ulla vis est adhibenda, ut commoda restituatur partitio; imo vero nisi quis Aeschylum opinatur molestissima in dicendo abundantia usum esse, sua sponte eo adducitur, ut carmen ab hemichoriis cantatum existimet. Praemisimus haec, ut demonstraremus carmen simile esse iis, quae communi omnium consensu essent inter hemichoria aut singulos choreutas divisa, hoc est threnodicis. Nam qui vel stasima et parodos, ut Agamemnonis et Supplicum, eodem modo cantata credunt, ii quidem consentientes nos non habent. Sed de singulis dicamus.

Primae strophae quae sit dispositio, neminem latet, qui Hermannianis non praepeditus coniecturis Mediceum intuetur. Utrumque enim hemichorion plane idem canit, sed inverso vel palinodico ordine: Auditne me divus rex vehementer conquerentem?

Ἡμιχόρ. Α. ἦ ῥ' ἀΐει μου μακ. βασ. | ἱέντος δύσθροα βάγματα.

Ἡμιχόρ. Β. παντάλαν' ἄχη διαβοάσω, | νέρθεν ἆρα κλύει μου;

Turbavit hunc ordinem Hermannus scribendo διαβοᾶσαι, quo duo illa enunciata in unum coeunt. Mutationis sane caussa est certissima in activa verbi διαβοάσω forma, quae ab Atticorum hominum consuetudine abhorret, verumtamen cum Wordsworthius erravit coniunctivi hanc esse formam ratus, tum Hermannus et sententiae integritati et Aeschyleae artis legibus offecit. Incidit enim vir sagacissimus in idem illud vitium, quod olim in O. Muellero ad Eumen. v. 167 scite castigaverat, h. e. consonam strophae et antistrophi interpunctionem reddidit dissonam. In toto autem, de quo loquimur, carmine tanta est enunciatorum aequalitas, nullus fere ut locus sit, in quo turbata videatur. Accedit, quod ex coniectura illa ne probabilis quidem nascitur sententia. Nam quum Hermannus infinitivum διαβοᾶσαι pendentem faciat e participio ἱέντος, sequitur, ut Aeschylus dixisse censendus sit haec: Auditne me rex vehementer conquerentem, ut audientes ad querelas fundendas adducantur? Sic enim

ille: „*Non chori est διαβοᾶν, sed eorum qui audiunt.*“ At *διαβοᾶν* hoc quidem loco nihil est aliud quidquam, nisi ita clamare, ut clamor diffusus ubique audiatur. In promptu est lenissima atque, ut mihi quidem videtur, certissima emendatio, qua omnia illa, de quibus diximus, effugere possimus incommoda: *διαβαΰξω*, ut eiusdem fabulae initio scriptum est: *κακόμαντις ἄγαν ὀρσολοπεῖται, θυμὸς ἔσωθεν δὲ βαΰζει.* Quod verbum grammatici quum vel rarius esse vel obscurius crederent, interpretati sunt per vulgarem illam vocem, qua labentis Graeciae aetate uti solebant.

In eiusdem syzygiae antistropho eadem est sententiarum dispositio, palinodica vel chiasta, sed paullo laxius conformata. Utrumque enim hemichorion et Deos precatur, ut Darium ex Orco emittant, et Darium honorificis nominibus appellat:

*A. δαίμονα μεγαυχῆ* | *ἰόντ' αἰνέσατ' ἐκ δόμων.*

*B. πέμπετε δ' ἄνω,* | *οἷον οὔπω Περσὶς αἶ' ἐκάλυψεν.*

Verba postrema *οἷον οὔπω κτλ.* idem significant, quod alterum hemichorion his dixerat: *δαίμονα μεγαυχῆ κτλ.* h. e. regem divinum et plane singularem. Nec in his quidquam est, quod offensionem habeat.

Veniamus ad alteram syzygiam. Cuius stropha quum labem contraxerit foedissimam, praestabit ab antistropho proficisci, non integra illa quidem, sed non infortunato tamen loco corrupta. Sententiarum haec est partitio:

A. non perdidit viros infelicibus bellis, sed *θεομήςωρ* appellabatur.
B. *θεομήςωρ* erat, nam felix erat exercitus dux.

*Ἡμιχόρ. A. οὐκ ἀπώλλυ ἄνδρας,* | *θεομήςωρ δ' ἐκικλήσκετο,*

*Ἡμιχόρ. B. θεομήςωρ δ' ἔσκεν,* | *ἐπεὶ ςρατὸν εὖ πόθ' ὡδώκει.*

Postrema in Mediceo sic depravata leguntur: *εὖ* (a secunda manu pro *ὑπ'*) *ἐποδώκει*, ex parte emendata iam ante Hermannum: *ὡδώκει*, nec addidi ego quidquam nisi *πόθ'*, ut hemichoriorum dicta plane sint exaequata:

*οὐδὲ γὰρ ἄνδρας πότ' ἀπώλλυ . . .*
*ἐπεὶ ςρατὸν εὖ πόθ' ὡδώκει.*

Quae vero ex Pollucis onom. I, 98 attulit Tan. Faber: *ὁ κυβερνήτης, ὁ ἐπὶ τῶν οἰάκων καθήμενος, ὁ τῆς νεὼς ἡγεμών, ὁ τῶν ναυτῶν ἄρχων, ὁ ἐπὶ τοῖς οἰάξιν ἑςὼς καὶ κατ' Ἀντιφῶντα ὁ ποδοχῶν ἢ μᾶλλον κατ' ἐμὲ ὁ ποδηγῶν* et Hermannus e Bekkeri anecd. I, p. 297, 5: *ποδοκεῖν, τὸ τῷ ποδὶ κυβερνᾶν κτλ.*, ea neque ad Aeschylum pertinent neque ad tollendam illam librorum corruptelam apta videntur, nisi strophae verbis *ἄνακτα Δαρειάν*, quae prorsus sunt sana, per vim mutatis. Nec scholiastae, cuius exemplar eodem modo corruptum quo Mediceum videtur, ulla fides est, siquidem id ex his, quae scribit, colligi potest: *ὑπὸ τὸν ἑαυτοῦ πόδα ἡνιόχει.* Difficilior de strophae integritate quaestio est:

ἦ φίλος ἀνήρ, φίλος ὄχθος,
φίλα γὰρ κέκευθεν ἤθη.
Ἀιδωνεὺς δ' ἀναπομπὸς ἀνείης, Ἀιδωνεὺς
Δαρεῖον οἷον ἄνακτα Δαρειάν, ἠέ.

In quibus pro οἷον e scholiis perquam commode reductum est: οἷον h. e. singularem vel, ut scholiasta ait, τὸν μόνον γενόμενον βασιλέα διὰ τὸ κηδεμονικόν, neque tamen antecedentis nominis Δαρεῖον, quod numeris repugnat, sublata dubitatio. Nam quod Hermannus scribendum iudicavit δάϊον, id quidem, quum sententiae non conveniat, nequaquam probaverim. Non enim δάϊον h. e. hostilem chorus appellare debet Darium nisi adiecto alio vocabulo, sed bellicosum vel militarem vel alio modo. Nos vero sic ratiocinamur: Vidimus in his duabus syzygiis inesse insignem enunciatorum aequabilitatem, quam ne emendando tollamus, prima lex est. Quare quemadmodum in antistropho hemichoriorum dicta verbis finitis, quae appellantur, sunt determinata: οὐκ ἀπώλλυ . . . . ἐκικλήσκετο || ἔσκεν . . . . ὠδώκει, sic in stropha pro Δαρεῖον verbum aliquod, quod alteri ἀνείης par fuerit, locum habuisse verisimile est. Atque quum in antistropho posterius θεομήςωρ particula δὲ sequatur, eandem fuisse strophae rationem existimamus. Ergo Δαρεῖον ex duabus vocibus videtur fortuito conflatum, quarum prior ipsa illa particula δὲ fuit, posterior voci ἀνείης suppar. Qua nos adducti ratiocinatione sic haec redintegranda arbitramur:

Ἀιδωνεὺς δ' αἶρε τὸν οἷον ἄνακτα Δαρειάν, ἠέ.

αἴρεσθαι autem in re scenica dicebantur dii et heroes et mortui, qui per machinas ex Orco sursum tollebantur, de qua re Athen. VI, 222, E. Plat. Cratyl. 425 D. Postremo non est, quod hanc quoque stropham παλινῳδικῶς compositam copiose demonstremus:

| | |
|---|---|
| *A.* φίλος ἀνὴρ κτλ. | Ἀιδωνεὺς κτλ. |
| *B.* Ἀιδωνεὺς κτλ. | οἷον ἄνακτα κτλ. |

Tertiae syzygiae alia ratio est, nam et palinodicus subsistit ordo et in plures partes fit distributio. Quod quo consilio a poeta institutum sit, facile intelligitur; animis enim vehementius incitatis vehementior fit oratio atque in singula commata colaque conciditur. Itaque et enunciatorum vincula desunt in stropha ἀείρων . . . πιφαύσκων et in antistropho bis ponitur particula γὰρ (Στυγία γὰρ . . . . νεολαία γὰρ κτλ.), altera relata ad ὅπως καινά τε κλύῃς νέα τ' ἄχη, altera ad δέσποτα δεσπότου, φάνηθι, perinde ac si orationis interpellatio plane sit nulla hoc modo:

*A.* 1. βαλὴν ἀρχαῖος, βαλήν, ἴθι, ἵκοῦ *B.* 2. ἔλθ' ἐπ' ἀκρὸν κόρυμβον ὄχθου
3. κροκόβαπτον ποδὸς εὔμαριν ἀείρων. 4. βασιλείου τιήρας φαλαρὸν πιφαύσκων.

At versus intercalaris commodae videtur obstare partitioni? Minime. Quemadmodum enim postrema totius antichorii pars, epodica potissimum, a toto choro cantari solet, sic epiphonema quoque, quod strophae unius quasi quaedam epodus est, consentaneum est a toto choro una concinente cantari, ut mos erat in threnis et cantilenis popularibus. Stropham sequitur antistrophus orationis cursu non intermisso, cuius rei exempla sunt apud Aeschylum haec:

Sept. v. 832. Ἀλλὰ γόων, φίλιαι, κατ᾽ οὖρον
ἀντ. ἐρέσσετ᾽ ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν κτλ.

Suppl. v. 565. λαβοῦσα δ᾽ ἕρμα Δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ
γείνατο παῖδ᾽ ἀμεμφῆ
ἀντ. δι᾽ αἰῶνος μακροῦ πάνολβον.

Versu antistrophi secundo δέσποτα δεσπότου φάνηθι obscurata videtur dicendi concinnitas. Haec enim quomodo congruunt cum illis, quae antecedens hemichorion dixerat: ὅπως καινά κτλ.? Non haerendum tamen est, praesertim quum in reliqua antistrophi parte prorsus manifesta sit hemichoriorum aequalitas. Neque enim aliud quidquam verba ὅπως κλύῃς ἄχη sonant, nisi κλῦθι ἄχη, ex quo sequitur, idem fere in iis inesse atque in alterius hemichorii verbis: δέσποτα, φάνηθι. Ceterum ἴθι, quod in libris est, licet Seidleriana coniectura elegantissima sit ἴθ᾽ ἴθ᾽, retinendum censeo; alterum vero δέσποτα cum Hermanno aliisque in δεσπότου mutandum. Sic v. 682 πιξὰ πιξῶν et similia.

Perventum nobis est ad epodum in Mediceo mendosissime scriptam. Eam Hermannus adscitis Brunckii aliorumque coniecturis probabiliter restituit, nisi quod pro τί τάδε, quod in libris scriptum est, τίπτε reponere malim. Cumulata sane verba videntur haec: περὶ τὰ σὰ διδύμᾳ δι᾽ ἄνοιαν ἁμαρτίᾳ, sed non sine exemplis cumulata: *duplici per dementiam peccato in opes tuas.* Verum quocunque modo haec se habent, ceterorum antichoriorum, de quibus alio loco diximus, similitudine adducimur, ut hanc quoque epodum a toto choro una conclamante cantatam credamus.

His dictis totum canticum ad nostram sententiam conformatum oculis obiiciamus:

στρ. α΄.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

636. ἦ ῥ᾽ ἀΐει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεὺς
βάρβαρα σαφηνῆ
ἱέντος τὰ παναίολ᾽ αἰανῆ δύςθροα βάγματα;

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

640. παντάλαν᾽ ἄχη διαβαΐξω.
νέρθεν ἄρα κλύει μου;

ἀντιςρ. α΄.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

ἀλλὰ σύ μοι Γᾶ τε καὶ ἄλλοι χθονίων ἁγεμόνες,
δαίμονα μεγαυχῆ
645. ἰόντ᾽ αἰνέσατ᾽ ἐκ δόμων, Περσᾶν Σουσιγενῆ θεόν.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

πέμπετε δ᾽ ἄνω, οἷον οὔπω
Περσὶς αἶ᾽ ἐκάλυψεν.

ςρ. β΄.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

650. ἦ φίλος ἀνήρ, φίλος ὄχθος,
φίλα γὰρ κέκευθεν ἤθη.
Ἀϊδωνεὺς δ᾽ ἀναπομπὸς ἀνείης,

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

Ἀϊδωνεὺς δ᾽ αἶρε τὸν οἷον ἄνακτα Δαρειάν, ἠέ.

ἀντιςρ. β΄.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

655. οὔτε γὰρ ἄνδρας πότ᾽ ἀπώλλυ
πολεμοφθόροισιν ἄταις,
θεομήςωρ δ᾽ ἐκικλήσκετο Πέρσαις,

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

θεομήστωρ δ᾽ ἔσκεν, ἐπεὶ ςρατὸν εὖ πόθ᾽ ὡδώκει, ἠέ.

στρ. γ΄.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

660. βαλήν, ἀρχαῖος βαλήν, ἴθι, ἱκοῦ,

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

ἔλθ᾽ ἐπ᾽ ἄκρον κόρυμβον ὄχθου,

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

κροκόβαπτον ποδὸς εὔμαριν ἀείρων.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

βασιλείου τιήρας φάλαρον πιφαύσκων.

ΧΟΡΟΣ. (ἐπιφώνημα.)

665. βάσκε, πάτερ ἄκακε Δαρειάν, οἴ,

ἀντιςρ. γ΄.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

ὅπως καινά τε κλύῃς νέα τ᾽ ἄχη,

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

δέσποτα δεσπότου, φάνηθι,

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

Σιγία γάρ τις ἐπ' ἀχλὺς πεπόταται.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

670. νεολαία γὰρ ἤδη κατὰ γᾶς ὄλωλεν.

ΧΟΡΟΣ. (ἐπιφώνημα.)

βάσκε, πάτερ ἄκακε Λαρειάν, οἴ.

ἐπῳδ.

ΧΟΡΟΣ.

αἰαῖ, αἰαῖ,
675. ὦ πολύκλαυτε φίλοισι θανών,
τίπτε, δυνάστα, δυνάστα,
περὶ τὰ σὰ διδύμᾳ
δι' ἄνοιαν ἁμαρτίᾳ
πάσᾳ γᾷ τᾷδ'
680. ἐξέφθινται τρίσκαλμοι
ναῦς, ἄναες ναῦς;

Superest, ut de metris, quae propria quaedam habent, nonnihil adiiciamus. Vehementi animorum concitationi, quae in tertia est syzygia, convenit diversorum numerorum consociatio, dipodiae dochmiacae, tetrapodiae logaoedicae, quattuor ionicorum. Quibus decursis hic ordo sequitur: τίφας φάλαρον πιφαύσκων, quem dochmiaco generi adnumerare non dubitamus:

⏑ ⏓ | – ⏑̊ – ⏑ ⏓ –.

Nec ad aliud genus pertinet ultimus: βάσκε, πάτερ ἄκακε Λαρειάν, οἴ, nisi quod pro iambo praemissus est creticus:

⏓ ⏑ ⏑̊ | ⏑ ⏑̊ – ⏑ ⏓ –.

Ex hac autem dochmiorum, paeonum, logaoedorum in eadem stropha coniunctione intelligitur, qua ratione primae syzygiae metra, de quibus a multis dubitatum est, sint dispescenda. Sunt, qui haec βάρβαρα σαφηνῆ et παντάλαν' ἄχη aut numero prorsus carere aut ex solutis iambis constare credant. At prior ordo βάρβαρα σαφηνῆ dipodia est paeonica catalectica, posterior παντάλαν' ἄχη, qui est coniungendus cum sequenti verbo διαβαΰξω, tripodia paeonica. Neque in strophis choricis Aeschylum prorsus aspernatum esse paeones Suppl. locus

v. 419 φρόντισον κτλ. testatur. Fit igitur numeri ex altero in alterum genus transitus, vel ut rhythmici dicunt μεταβολὴ εἰς ἄλλο γένος, quae animorum commotioni in carminibus ἀνακλητικοῖς valde est consentanea. Nec antistrophi ratio refragatur, est enim et hiatus πέμπετε δ' ἄνω, οἷον in invocando legitimus et legitima contractio διαβαΐξω — οἷον οὔπω. Hinc sequitur, strophae paeonem primum congruere cum antistrophi bacchio:

⏑ ⏑ ⏑ 

# ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM.

IOSEPHUS HENRICUS FRIEDLIEB, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Hermeneuticam biblicam una cum arte critica* tradet d. Ven. et Sat. h. x. II. In seminario regio theol. cathol. sodalium *exercitationes in N. T.* moderabitur d. Iov. h. v. et VI. Privatim III. *Epistolas S. Pauli ad Timotheum nec non ad Titum* explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. h. x.

IOANNES BAPTISTA BALTZER, Dr. P. P. O. lectiones suo tempore indicabit.

IOANNES FRANCISCUS POHL, Dr. P. P. O. Publice I. *De arte homiletica* disseret d. Merc. et Sat. h. IX. de Iov. h. IV. II. *Repetitorium de theologia pastorali* instituet d. Ven. h. IV. Privatim III. *De theologia pastorali* disputare perget duce libro a se scripto, qui mox in lucem prodibit: „*Die gottmenschlichen Thätigkeiten der Kirche etc.*" Paderborn 1861. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

FRANCISCUS ANTONIUS BITTNER, Dr. P. P. O. lectiones suo tempore indicabit.

CAROLUS FRIDERICUS STERN, Dr. P. P. O. Publice I. *Introductionem generalem et specialem in libros Vet. Testamenti* dabit dieb. Lun. Merc. Ven. h. VII. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitia de Vetere Testamento exegetica* moderabitur d. Sat. h. x. et XI. Privatim III. *Minorum prophetarum vaticinia* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

IOSEPHUS HUBERTUS REINKENS, Dr. P. P. O. Publice I. *Repetitiones historiae ecclesiasticae* instituet d. Iov. et Ven. h. x. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* moderari perget d. Lun. h. III. et IV. Privatim III. *Historiae ecclesiasticae partem priorem* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI.

IOANNES ANTONIUS SOFFNER, Theol. Lic. Gratis I. *Doctrinam christianam de S. S. Sacramentis deque rebus hominis novissimis* tradet dieb. Iov. Ven. Sat. h. XII. Privatim II. *Doctrinam christianam de S. S. Trinitate ac de Deo creatore* exponet dieb. Lun. Mart. Merc. h. XII.

PAULUS FRANCISCUS SCHOLZ, Theol. Lic. Privatim. *Theologiae moralis partem alteram* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. h. XI.

---

## ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM.

CAROLUS FRIDERICUS GAUPP, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Exercitationes* in seminario regio practico moderari perget d. Merc. h. VII. Privatim II. *Epistolam Pauli ad Romanos* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. III. *Theologiae practicae partem primam et tertiam* (*Liturgicen et doctrinam de regimine ecclesiae s. ecclesiast.*) tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. Sat. h. VIII.

AUGUSTUS HAHN, Dr. P. P. O., reliquorum, quibus fungitur, munerum rationibus impeditus lectiones per aestatem habere non poterit.

GUILELMUS BOEHMER, Dr. P. P. O. Publice I. *De ingenio, vita atque scriptis patrum, quos apostolicos et ecclesiasticos vocant*, disputabit d. Merc. et Sat. h. XII. II. *Exercitationes, quae ad novum testamentum pertinent, tum exegeticas, tum criticas* in seminario reg. theol. moderabitur bis horis adhuc def. Privatim III. *Quam fere vocant theologiam dogmaticam tanquam fidei christianae systema* libri sui: „*Die christliche Glaubenswissenschaft*," Vratisl. foras emissi, habita ratione proponet dieb. Lun. Mart. Iov. h. XII.

CAROLUS SEMISCH, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationibus* seminarii theologici *ad ecclesiae dogmatumque historiam pertinentibus* praeesse perget d. Mart. h. III. Privatim II. *Historiae ecclestiasicae partem priorem* tradet quotidie h. VIII. et d. Mart. h. IX. III. *Introductionem in N. T. libros* enarrabit quinquies per hebd. h. IX.

IULIUS FERDINANDUS RAEBIGER, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes* seminarii theologici in Vet. Test. interpretando moderari perget d. Sat. h. XII. Privatim II. *Psalmos* interpretabitur quinquies per hebd. h. X. III. *Encyclopaediam theologicam* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI.

IULIUS KOESTLIN, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes seminarii theologici quae ad theologiam systematicam pertinent* moderabitur binis per hebd. horis. Privatim II. *Theologiam Novi Testamenti* tradet quinquies per hebd. h. XI. III. *Evangelium Ioannis* interpretabitur quinquies per hebd. h. XII.

EDUARDUS GUSTAVUS MEUSS, Dr. P. P. E. Publice I. *Exercitationes homileticas et catecheticas* in seminario regio practico moderari perget d. Lun. h. III. d. Merc. h. XI. Privatim II. *Theologiam moralem* docebit quinquies vel sexies per hebd. h. IX. III. *Theologiam symbolicam* tradet quinquies per hebd. h. X.

FRIDERICUS GUILELMUS SCHULTZ, Theol. Lic. Phil. Dr. P. P. E. des. Publice I. *Epistolas Petri et Iudae* interpretabitur d. Merc. h. XI. d. Sat. h. X. et XI. Privatim II. *Genesin* interpretabitur quinquies per hebd. h. X. III. *Theologiam Vet. Test.* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. h. XI.

GEORGIUS LUDOVICUS HAHN, Theol. Lic. Phil. Dr. P. P. E. Publice I. *Examinatorium de historia ecclesiae et dogmatum Christianorum* instituet bis per hebd. Privatim II. *Dogmatum historiam* enarrabit quinquies per hebd. h. XII. III. *Evangelium Lucae ratione habita priorum evangeliorum* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII.

---

## ORDO IURECONSULTORUM.

IULIUS FRIDERICUS HENRICUS ABEGG, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Summa iuris poenalis principia sive doctrinam de iustitia poenarum* adhibito libro suo: „*Die verschiedenen Strafrechtstheorien*“ inscripto exponet d. Iov. h. VI. mat. II. *Ius naturae sive philosophiam iuris* examinando repetet d. Iov. h. IX. Privatim III. *Ius criminale commune et Borussicum* secundum librum suum: „*Lehrbuch der Strafrechtswissenschaft*“ inscriptum, et *novum Codicem poenalem Borussicum* tradet quotidie h. VII. d. Mart. et Merc. h. VI. mat. IV. *Processum civilem secundum praecepta iuris communis et Borussici* ad conspectum suum et librum: „*Versuch einer Geschichte der Preussischen Civilprocess-Gesetzgebung*“ Vratisl. 1848. a se editum docebit quotidie h. VIII.

PHILIPPUS EDUARDUS HUSCHKE, Dr. P. P. O. Publice I. *Ius pignorum et hypothecarum* docebit d. Ven. et Sat. h. XII. Privatim II. *Pandectas iuris civilis excepto iure personarum, pignorum et hereditario* tradet quotidie h. VIII. et IX. III. *Ius hereditarium* exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. XII.

LUDOVICUS GITZLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Bullam circumscriptionis „de salute animarum“* interpretabitur d. Sat. h. X. II. *Ius quod ad personas attinet*, docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. VII. Privatim III. *Institutiones et historiam iuris Romani* tradet quotidie h. VIII. et IX.

IOANNES ERNESTUS OTTO STOBBE, Dr. P. P. O. Publice I. *Speculum Saxonicum* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. XII. Privatim II. *Historiam iuris Germanici*

tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. x. III. *Ius ecclesiasticum Catholicorum et Evangelicorum* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. xi.

HERMANNUS IOANNES FRIDERICUS SCHULZE, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes et interpretationes ex fontibus iuris Germanici* instituet d. Ven. h. viii. et ix. Privatim II. *Ius Germanicum privatum cum iure feudali* tradet octies per hebdomadem dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. viii. et ix.

IOANNES THEODORUS SCHIRMER, Dr. P. P. E. Publice I. *Ordinem iudiciorum privatorum, quo usi sunt Romani* exponet d. Lun. et Iov. h. iii. Privatim II. *Encyclopaediam et methodologiam iuris universi* tradet quotidie except. d. Sat. h. x. III. *Institutiones et historiam iuris Romani* docebit quotidie h. viii. et ix.

GEORGIUS FRIDERICUS FELIX EBERTY, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Iuris Anglici capita quaedam* exponet bis h. x. Privatim II. *Philosophiam iuris sive ius naturale quod vocant* docebit quotidie excepto d. Merc. h. xi.

PETRUS IOSEPHUS MARX, Dr. Gratis I. *Pandectas iuris civilis examinando et disputando* repetet bis vel ter per hebd. h. iv. II. *Ius matrimoniorum secundum iuris canonici et recentiorum constitutionum civilium praecepta* docebit d. Mart. et Ven. h. iv. Privatim III. *Ius ecclesiasticum Catholicorum et Evangelicorum* excepto d. Sat. quotidie tradet h. xi.

FRIDERICUS RIVE, Dr. Gratis I. *Taciti librum, qui inscribitur „De Germania“* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. v. II. *Antiquitates iuris germanici, quae continentur poëmate „Reineke Vos“* explicabit d. Merc. et Sat. h. v. III. *Principia iuris metallici, quae vigent in Borussorum sinistra Rheni ripa*, tradet d. Mart. et Ven. h. v. Privatim IV. *Ius publicum Germanicum* docebit quotidie exc. die Sat. h. x.

OTTO FRANKLIN, Dr. Gratis I. *Ordinem iudiciorum apud veteres Germanos* exponet d. Lun. et Iov. h. xii. III. *Historiam iuris civilis Borussici* tradet d. Iov. h. xi. Privatim III. *Ius civile Borussicum* docebit quinquies per hebd. h. xi.

---

## ORDO MEDICORUM.

IOANNES CAROLUS LEOPOLDUS BARKOW, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Privatissime et gratis I. *Exercitationes zootomico-practicas* moderabitur sexies per hebd. h. def. Publice II. *Anthropologiam seu historiam naturalem generis humani* docebit d. Sat. h. xi. III. *Morphologiam anatomico-pathologicam* exponet d. Merc. et Sat. h. vi. mat. Privatim IV. *Anatomiam comparativam universam* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix.

TRAUGOTTUS GUILELMUS GUSTAVUS BENEDICT, Dr. P. P. O. Publice I. *Historiam chirurgiae* exponet quater per hebd. h. def. Privatim II. *Chirurgiam genera-*

*lem et doctrinam de operationibus chirurgicis* exponet h. def. III. *Ophthalmiatricen* docebit h. def.

IULIUS GUILELMUS BETSCHLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Cursum operationum obstetriciarum* moderabitur d. Merc. h. IV. et V. Privatim II. *Morbos sexus sequioris* docebit quater per hebd. h. VII. III. *Clinicum gynaecologicum* moderabitur quotidie h. VIII.

HERMANNUS LEBERT, Dr. P. P. O. Publice I. *De morbis cordis atque vasorum* disseret d. Sat. h. XII. Privatim II. *Clinicum et policlinicum medicum* moderabitur sexies per hebd. h. $X\frac{1}{2}$—XII. III. *Pathologiam et therapiam specialem* docebit quinquies per hebd. h. XII.

ALBERTUS THEODORUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. Publice I. *De fracturis ossium* disseret d. Sat. h. VIII. mat. Privatim II. *Clinicen et policlinicen chirurgico-ophthalmologicam* moderabitur sexies per hebd. h. IX—$X\frac{3}{4}$. III. *Chirurgiam et doctrinam de fasciis, instrumentis et operationibus subiunctis exercitationibus in cadavere instituendis* docebit quinquies per hebd. h. VIII. mat.

RUDOLPHUS PETRUS HENRICUS HEIDENHAIN, Dr. P. P. O. Publice I. *Physiologiam systematis nervosi cerebro-spinalis* docebit d. Mart. et Ven. h. V. Privatim II. *Physiologiam generalem et physiologiae specialis partem priorem (functiones quae vocantur animales)* docebit quotidie h. VII. mat. Privatissime III. *Exercitationes microscopicas et experimentales in instituto physiologico* dirigere perget quotidie horis mat. et vesp.

GUILELMUS HENRICUS CAROLUS GROSSER, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Constructionem et usum microscopii* monstrabit d. Merc. et Sat. h. III. Privatim II. *Angiologiam* docebit d. Mart. et Ven. h. VIII. III. *Osteologiam et syndesmologiam* exponet d. Lun. et Iov. h. VIII.

IOANNES IOSEPHUS SEIDEL, Dr. Gratis I. *Selecta capita materiae medicae* pertractabit d. Lun. et Merc. h. II. Privatim II. *De fontibus Germaniae foteriis* disseret dieb. Lun. Mart. Ven. Sat. h. III. III. *Materiam medicam* exponet sexies per hebd. hor. adhuc def.

CAROLUS GUILELMUS KLOSE, Dr. Gratis I. *De herniis* disseret d. Mart. et Sat. h. IV. Privatim II. *Medicinam forensem* docebit dieb. Lun. Merc. Ven.

IOANNES AUGUSTUS BURCHARD, Dr. Gratis I. *De morbis recens natorum* disseret et *cursum vaccinationis* instituet d. Merc. et Sat. h. IV. Privatim II. *Artem obstetriciam* docebit quater per hebd. h. IV. III. *Operationes gynaecologicas* demonstrabit ter per hebd. h. V.

HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Psychiatricen* docebit d. Lun. et Iov. h. III. II. *Psychologiam forensem* tradet d. Mart. et Ven. h. III.

THEOBALDUS BASILIUS PAULUS REYMANN, Dr. Gratis I. *Morbos syphiliticos* tractabit d. Merc. et Sat. h. VII. mat. Privatim II. *Therapiam generalem* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. mat.

ARMINIUS RUDOLPHUS AUBERT, Dr. Gratis. *Anatomiam comparatam animalium evertebratorum* docebit *cum demonstrationibus* dieb. Lun. Mart. Merc. h. II.

ARMINIUS IULIUS PAUL, Dr. Gratis I. *De morbis infantum chirurgicis* disseret et *exercitationes vaccinatorias* moderabitur d. Sat. h. v. Privatim II. *Medicinam forensem* docebit dieb. Lun. Merc. Ven. h. v. Privatissime III. *Exercitationes morbos infantum dignoscendi et curandi practicas moderari* perget dieb. Lun. Merc. Ven. h. III — IV$\frac{1}{2}$.

BERNHARDUS COHN, Dr. Gratis I. *Exercitationes pathologico-microscopicas* moderabitur d. Sat. h. IV. Privatim II. *Exercitationes diagnosticas morborum internorum* moderabitur quater per hebd. h. IV. III. *Anatomiam patholigicam* tradet quater per hebd. h. V.

RICHARDUS FOERSTER, Dr. Privatim I. *Exercitationes diagnostico-therapeuticas in morbis oculorum tractandis* instituet d. Mart. et Ven. h. IV. Privatissime II. *Exercitationes practicas operationum quae in oculo instituuntur*, moderabitur d. Lun. et Iov. h. V.

GEORGIUS LEWALD, Dr. Gratis I. *Artem formulas medicas rite concinnandi* tradet d. Sat. h. IV. Privatim II. *Universam materiam medicam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Ven. h. IV.

RAPHAEL FINCKENSTEIN, Dr. Gratis I. *Epidemiologiam generalem* docebit d. Lun. h. VI. mat. II. *Hippocratis de aëre, aquis et locis librum* interpretabitur d. Iov. h. VI. mat. Privatim III. *Encyclopaediam et methodologiam medicinae* tractabit d. Mart. et Ven. h. III.

CAROLUS IMMANUEL KLOPSCH, Dr. Gratis I. *Historiam artis medicae ab inventione Harveyana usque ad nostram aetatem* docebit d. Lun. Mart. Ven. h. III. II. *De morbis chronicis apparatus locomotorii* disseret d. Merc. et Sat. h. III. Privatim III. *Encyclopaediam et methodologiam studii medici* tractabit d. Lun. et Iov. h. IV.

GUILELMUS ALEXANDER FREUND, Dr. Gratis. *Gynaecologiam generalem* (*part. II.*) docebit d. Merc. h. III.

---

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes pharmacologicas microscopicas* moderabitur d. Sat. h. XII. Privatim II. *De plantis officinalibus et de earum productis secundum ordines naturales cum demonstrationibus pharmacologicis* in museo botanico dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X. et in horto botanico duce libello suo: „*Die botanischen Museen, insbesondere das bei der Universität Breslau*“ inscripto disseret semel per hebd. h. VI.

---

## ORDO PHILOSOPHORUM.

---

ADOLPHUS FRIDERICUS STENZLER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Linguam Persicam* docebit d. Lun. et Iov. h. III. II. *Grammaticam linguae Sanscritae* tradet d. Mart. et Ven. h. III.

PETRUS IOSEPHUS ELVENICH, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes dialecticas* moderabitur bis per hebd. Privatim II. *Logicam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. h. III. III. *Psychologiam* explicabit dieb. Mart. Merc. Iov. h. IV.

CAROLUS IACOBUS LOEWIG, Dr. P. P. O. Publice I. *De analysi chemica, quam quantitativam vocant,* disseret d. Merc. et Ven. h. XII. Privatim II. *Chemiam organicam* docebit et *experimentis* illustrabit senis dieb. h. VIII. III. *In laboratorio chemico operam daturis* aderit quinquies per hebd. ab hora IX. usque ad h. XII. et ab h. II. usque ad h. VI.

CHRISTOPHILUS IULIUS BRANISS, Dr. P. P. O. Publice I. *De philosophia nostri temporis* disseret d. Mart. et Ven. h. V. Privatim II. *Ethicam* docebit dieb. Lun. Merc. Iov. h. V.

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Dr. P. P. O. Publice I. *Excursiones, quas vocant botanicas in agro Vratislaviensi* instituet d. Sat. h. III. II. *Exercitationes pharmacologico-microscopicas* moderabitur d. Merc. h. XII. Privatim III. *Botanicen generalem et specialem vel systematicam* explanabit *una cum expositione familiarum naturalium duce libello suo: „Die officinellen und technisch wichtigen Pflanzen unserer Gärten, insbesondere des botanischen Gartens in Breslau,“* dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI. d. Lun. et Iov. h. IV.

NB. *Lectiones, quae ad medicinam pertinent, scholis Medicorum sunt annexae.*

ADOLPHUS EDUARDUS GRUBE, Dr. P. P. O. Publice I. *Demonstrationes zoologicas* instituet d. Iov. h. III. Privatim II. *Zoologiae partem primam* docebit dieb. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. X.

HENRICUS FRIDERICUS HAASE, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes seminarii regii philologici* reget d. Merc. h. IX. et X. d. Sat. h. IX. Privatim II. *Aristophanis Acharnenses* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX. III. *Litterarum Romanarum historiam* enarrabit quotidie h. VIII.

IOANNES LUDOVICUS TELLKAMPF, Dr. P. P. O. Publice I. *De aere alieno publico, quod civitates contrahere solent,* disseret d. Merc. h. XII. II. *Disputationes de quaestionibus politicis* instituet hor. audit. comm. Privatim III. *Rerum publicarum administrationem (Staatswirthschaft) et doctrinam de reditibus et sumptibus publicis (Finanzwissenschaft)* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X.

MAURITIUS LUDOVICUS FRANKENHEIM, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes physicas* moderabitur d. Sat. h. XI. et XII. Publice II. *Acusticam* docebit d. Merc. h. III. Privatim III. *Physicam universalem* exponet et *experimentis* illustrabit quinquies per hebd. h. XII.

FERDINANDUS IOACHIMSTHAL, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *De serie hypergeometrica* disseret d. Merc. et Sat. h. X. Privatim II. *Elementa geometriae analyticae* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

RICHARDUS ROEPELL, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes seminarii historici* moderari perget. Privatim II. *Historiam medii aevi* tradet quater per hebd. h. XII.

FERDINANDUS ROEMER, Dr. P. P. O. Publice I. *Geognosiam Germaniae borealis* exponet d. Merc. h. V. II. *Excursiones geognosticas* instituet dieb. p. i. Privatim

III. *Mineralogiam* docebit quinquies per hebd. h. IX. IV. *Palaeontologiam* docebit quinquies per hebd. h. VII.

GUILELMUS IUNKMANN, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes historicas* moderabitur h. d. Publice II. *Historiam saeculi XV.* enarrabit d. Merc. et Sat. h. IV. Privatim III. *Historiam universalem inde a Carolo V.* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV.

IOANNES GODOFREDUS GALLE, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Explicationem theoriae perturbationum specialium* offert d. Mart. h. V. Publice II. *Geometriam et trigonometriam sphaericam* tradet d. Lun. et Iov. h. V. Privatim III. *Interpolationem et quadraturas mechanicas* exponet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

AUGUSTUS ROSSBACH, Dr. P. P. O. Publice I. *Seminarii philologici regii exercitationes* moderabitur d. Lun. h. X. et XI. de Iov. h. X. II. *Archaeologicas exercitationes* habebit d. Iov. h. XI. et XII. Privatim III. *Aeschyli Choephoros* interpretabitur dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. X. IV. *Architecturae romanae historiam* enarrabit dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. XI.

ADOLPHUS DUFLOS, Dr. P. P. O. Publice I. *Repetitorium pharmaceutico-chemicum* instituet bis per hebd. h. IX. II. *Chemiae analyticae elementa* docebit bis per hebd. h. IX. Privatim III. *Chemiam pharmaceuticam anorganicam* docebit sexies per hebd. h. VII. IV. *Venenorum chemicorum proprietates eorumque explorationem* explicabit bis per hebd. h. IX.

ADALBERTUS CYBULSKI, Dr. P. P. O. des. Publice I. *Antiquissima carmina bohemica, quae „Königinhofer Handschrift" appellantur*, explicabit d. Merc. et Sat. h. II. Privatim II. *Historiam litterarum slavicarum universam* tradet quater per hebd. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. II. Privatissime III. *Polonica, Bohemica, Russica, Serbica studia* tractaturis operam suam offert.

AUGUSTUS SCHMOELDERS, Dr. P. P. O. des. Publice I. *De poësi et arte metrica Hebraeorum* disputabit d. Lun. et Iov. h. XI. II. *Institutiones Syriacas continuaturus Roedigeri chrestomathiam* pertractabit d. Mart. et Ven. h. XI. III. *Scriptores Arabicos tum faciliores tum difficiliores intellectu alternis horis* explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. X. IV. *Linguae Persicae elementa* docebit bis her hebd. h. indic. V. *Grammaticae arabicae elementa* tradet bis per hebd. h. indic.

HENRICUS RUECKERT, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Mythologiam Germanorum* tradet d. Lun. et Iov. h. VIII. Privatim II. *Carmen Anglosaxonicum Beovulf* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. VIII. Privatissime III. *Scholas theotiscas* instituet dieb. et hor. def.

RUDOLPHUS WESTPHAL, Dr. P. P. E. des. Privatissime et gratis I. *Exercitationes philologicas* regere perget. Publice II. *Catulli carmina* explicabit bis per hebd. Privatim III. *Grammaticam graecam* docebit quinquies per hebd. h. VII.

HENRICUS EDUARDUS SCHROETER, Dr. P. P. E. des. Publice I. *De proprietatibus determinantium* disseret d. Mart. et Ven. h. XI. Privatim II. *Theoriae numerorum elementa* docebit dieb. Lun. Merc. Iov. h. XI.

EDUARDUS MAGNUS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Scriptores Arabicos ad intelligendum faciliores* interpretabitur ter per hebd. h. def. II. *Scriptores Arabicos ad intelligendum difficiliores, in his opera Rabbinico-Arabica* explicare perget bis per hebd. h. def. III. *Scriptores Syriacos, nec non partem grammaticae Syriacae alteram* tractabit ter per hebd. h. def.

FERDINANDUS IULIUS COHN, Dr. P. P. E. des. Publice I. *De historia algarum naturali* disseret bis per hebd. h. def. Privatim II. *Familias plantarum naturales* explicabit d. Iov. et Merc. h. VI. vespert. in horto botanico, d. Sat. h. X. in audit. V. III. *Evolutionem plantarum cryptogamicarum* docebit, *exercitationibusque microscopicis nec non excursionibus* illustrabit ter per hebd. h. def.

CAROLUS IULIUS BERGIUS, Dr. P. P. E. des. Gratis I. *De pecunia, imprimis regni Borussici* disseret d. Iov. h. XI. Privatim II. *Doctrinam de politia* exponet dieb. Lun. Merc. Sat. h. XI.

ARMINIUS MARBACH, Dr. P. P. E. des. Gratis I. *De electricitate* disseret bis per hebd. Privatim II. *Physicen universam* docebit et *experimentis* illustrabit sexies per hebd. h. XII.

GUSTAVUS GUILELMUS KOERBER, Dr. Gratis I. *Excursiones ad plantas cryptogamicas colligendas* instituet semel per hebd. Privatim II. *Lichenologiam* docebit quater per hebd. h. def.

PAULUS EDUARDUS CAUER, Dr. Gratis. *Res a Friderico Magno gestas* enarrabit d. Merc. h. IV.

CAROLUS LEONARDUS HENRICUS SCHWARZ, Dr. Gratis I. *De calore* disseret semel per hebd. Privatim II. *Technologiam chemicam* tradet quater per hebd. Privatissime III. *Volumetriam* docebit in lab. suo.

GUSTAVUS FRIDERICUS GUILELMUS SUCKOW, Dr. Gratis. *Philosophiam religionis christianae* tradet d. Lun. et Mart. h. VII. mat. cuiusque diei.

IMMANUEL OGINSKI, Dr. Gratis I. *Quaenam ratio philosopho cum sua natione sit* inquiret d. Sat. h. XII. Privatim II. *Paedagogicen ad vitam applicandam* tractabit d. Lun. et Mart. h. XII. III. *Religionis philosophiam* docebit dieb. Merc. Iov. Ven. h. XII.

IACOBUS BERNAYS, Dr. Gratis. *Selectas Ciceronis ad Atticum epistolas* enarrabit d. Merc. h. V.

FRIDERICUS HERMANNUS BERTHOLDUS RUMPELT, Dr. Privatissime et gratis. *Grammaticam Gothicam* tradet et *Ulfilam* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. II.

FRIDERICUS GUILELMUS PFEIFFER, Dr. Gratis I. *Linguam Gothicam* docebit d. Lun. et Iov. h. VII. II. *Historiam litterarum Germanicarum saec. XIX.* enarrabit d. Iov. h. VIII.

RICHARDUS COLMARUS GRUENHAGEN, Dr. Gratis. *Historiam civitatis Vratislaviensis* tradet bis per hebd.

MAXIMILIANUS THEODORUS KAROW, Dr. Gratis I. *Divinam Dantis comoëdiam* interpretari perget dieb. Mart. Iov. Ven. h. VI. mat. II. *Linguae Francogallicae veteris*

*grammaticam* tradet *selectaque et scriptorum et poëtarum inde ab antiquissimis temporibus usque ad annum MD. capita* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. VI. mat.

CAROLUS ALBERTUS SCHERNER, Dr. Gratis. *De somniorum natura, legibus phaenomenisque variis* disseret d. Lun. et Iov. h. II.

LOTHARIUS MEYER, Dr. Gratis I. *Zoochemiam et phytochemiam* tradet et *experimentis* illustrabit d. Lun. et Iov. h. V. pom. Privatissime II. *Repetitorium chemiae anorganicae* instituet hor. bin. def. III. *Exercitationes in laboratorio physiologico-chemico instituendas* moderabitur quotidie praeter d. Sat.

EDUARDUS LUEBBERT, Dr. Publice I. *Topographicas Athenarum et Romae antiquitates* illustrabit d. Mart. et Sat. h. IV. Privatim II. *Aristotelis organon* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Ven. h. V. Privatissime III. *Latine loquendi exercitationes* instituet d. Merc. et Sat. h. V.

---

EXPEDITUS BAUMGART, Dr. Gratis I. *Artis harmonicae partem alteram* docebit bis per hebd. II. *Organo canendi artem* docebit bis per hebd.

IULIUS SCHAEFFER. Gratis I. *Artem pluribus vocibus concinendi* docebit semel per hebd. II. *Evangelici cantus ecclesiastici historiam* continuabit semel per hebd. Privatim III. *De illius musicae artis generis, quod hodie „Lied“ vocant, natura atque historia* disseret semel per hebd.

---

## LECTORES LINGUARUM.

---

CHRISTOPHILUS HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Libros regum grammatice* explicabit ter per hebd. h. def. Privatim II. *Psalmos grammaticae potissimum ratione habita* explicabit ter hebd. h. def.

AUGUSTUS THEODORUS PEUCKER, Dr. Gratis I. *Grammaticam linguae graecae vulgaris* docebit d. Merc. et Sat. h. II. II. *Zampelii Leucadii Timoleontem* interpretabitur hor. aud. com.

ARMINIUS EDMUNDUS OTTOMARUS BEHNSCH, Dr. Gratis I. *Shakespearii Hamletum* explicabit d. Mart. et Ven. h. III. Privatim II. *Praefatus de origine et indole linguae anglicae librum, cui titulus est „Critical and Historial Essays by Th. B. Macaulay,“* cum commilitionibus leget d. Mart. et Ven. h. IV.

ALEXANDER MAROCHETTI, Lect. Gratis I. *Librum classicum, „Le notti romane al sepolcro degli Scipioni“ ab Alexandro Verri scriptum* interpretabitur bis per hebd. Privatim II. *Italice loquendi et scribendi exercitationes* moderabitur bis per hebd. Privatissime III. *Rudimenta linguae Italicae* docebit bis per hebd.

IOANNES NICOLAUS FRITZ, Lect. Gratis I. *Linguae Polonicae grammaticam* docebit atque *exercitationes voce et litteris vertendi* instituet duce libello suo, *in quo linguae Polonicae elementa* traduntur bis per hebd. II. *Cum exercitatioribus commilitoribus librum aliquem Polonicum* leget et interpretabitur semel per hebd. h. def.

CAROLUS FRANCISCUS LUDOVICUS DANIEL FREYMOND, Lect. Gratis I. *Aemilii Souvestrii libellum ab academia litterarum Parisiensi praemio ornatum*, cui titulus est: „*Un philosophe sous les toits*“ — leget et explicabit, atque *de nonnullis eiusdem operibus* disputabit bis per hebd. h. def. Privatim II. *Grammaticam francogallicam* tradet et *exercitationes francogallice loquendi et scribendi* instituet bis per hebd. h. def.

VINCENTIUS KRAIŃSKI, Dr. Lector hon. Gratis I. *Linguam Polonicam triplici discentium ordine instituto* docebit sexies per hebd. II. *Litterarum Polonicarum historiam* enarrabit quater per hebd. III. *Eloquentiam sacram Polonicam* tractabit bis per hebd.

---

Artem vel graphide delineandi vel penicillo imitandi docebit *Siegert*, artem equitandi *Preusse*, saltandi *de Kronhelm*.

Bibliothecae Academicae lecturis apertae patebunt diebus Lun. Merc. Iov. Sat. hor. II. et III., libros petituris et reddituris dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. hor. XI. Leges indicat scheda in coenaculo studiis dicato proposita. Bibliotheca Studiosorum propria cum Museo patebit dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. II—V. Ex reliquis tribus urbis bibliothecis Rehdigerana cum Burgiana ad aedem S. Elisabethae consociata patebit dieb. Merc. et Sat. ab hora II. ad IV.; ea autem, quae est ad aedem S. Bernardi, singulis diebus Iovis eisdem horis; de tertia, quae ad aedem S. Mariae Magdalenae servatur, conveniendus singulis diebus Saturni ab hora X. ad XII. bibliothecarius est, qui est gymnasii M. Magdalenensis rector.

Collectiones rerum et instrumentorum ad physicam, astronomiam, anatomen, physiologiam, zoologiam pertinentium, laboratorium chemicum, artis et antiquitatum Museum et pinacotheca inspiciendi venia suo loco et tempore impetrata monstrabuntur. Hortus botanicus diebus omnibus praeter dominicos patebit.